



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

5. Illis Arminii Svccedens Arce Propinqva.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

3. AMBRONES HABITASSE FERUNT. Alij alijs terrarum oris *Ambrones* collocent. Nos cum Reinero Reineccio in commentario de origine Mysorum, & cum Ioanne Pideritio in Chron. Lippiensi part. 1. cap. 6. ad *Ambram* nostratam illorum sedem ponimus, & ab *Ambram* denominatos censemus.

4. QVOS CIMBRICVS OLIM. Florus lib. 3. cap. 3. & quotquot *Cimbrici* belli meminerunt, *Cimbrorum* in Italiam irruentium socios faciunt Teutonos, qui *Ambronibus Ambræ* accolis vicini, siquidem in Diocesi Paderbornensi & Lippiensi Comitatu *Teutoburgium*, & *Teutoburgiensem saltum* tenuerunt, & nomine suo donarunt, facile in societatem hujus belli *Ambronas* pertraxerint, junctis copijs Italiam invasuri. Hi igitur *Ambrones*, *Cimbris* per Noricum Italiam aggredientibus, in Gallias deflexerunt, unà cum Teutonis socijs suis alia via irrupturi. Sed, teste Plutarcho in Mario, ad Druentiam flumen, haud procul Aquis Sextijs, quas Teutoni tenebant, à Mario sunt deleti, cum ipsi soli Capionem, ac deinde Manlium Coss. unà cum exercitu Romano ante profligassent.

5. ILLIS ARMINII SVCCEDENS ARCE PROPINQVA. *Vix invenies, ait Seneca de Consol. ad Helviam, ullam terram, quam etiam nunc indigenæ colant; permixta omnia & inscitia sunt. Alius alij successit. Hic concupivit, quod alij fastidio fuit; unde ille expulerat, ejectus est.* Sic in *Ambrorum* ad *Ambram* sedes Cherusci immigrarunt, quos etiam cis Visurgim habitasse, supra in notis ad cladem Varianam §. 15. ex Dione lib. 54. ostensum est, & ex ejusdem hist. l. 55. patet. *Drusum Chattorum fines ingressum, ad Sueviam usque processisse. Inde in Cheruscorum agros conversum Visurgim-*

que transfressum, Albim usque penetrasse, cuncta depopulando. Winkelmannus etiam in notitia veteris Westphaliæ lib. 1. cap. 8. num. 105. Nec dubium est, inquit, Arminium hic sedem habuisse: extant enim adhuc reliquie arcis dictæ, DIE HARMESBORG, ab Harminio prope Schier, versus Luidam oppidum. Certe arx ipsa, quæ vulgò Herlingsburg nominatur, etiam si diruta, in altissimo monte, situ ad bellum opportuno, veteris munitiois vestigia adhuc ostentat. Hanc à Carolo M. everfam memorat Ioan. Seilerus in Chron. Pym. MS. cap. 19. Pideritius autem in Chron. Lippiensi part. 2. pag. 206. falso putat hoc in loco Irmensulam Saxoniam, & Heresburgum stetisse, quæ ad Dimolam erant indaganda.

6. ANNVA DEINDE PIO. Id quod memoriæ prodidit vita Caroli M. apud Pithæum. pag. 31. Rex Carolus iniit consilium ut hiemis tempore ageret in Saxonia, & celebravit natale in Cidrioburgi (alias Sknidnosburg in pago Vauzauvaga in villa LVIDI) super fluvium Ambra. Inde abiens in Saxoniam pervenit usque ad Rimia. Regino in Chron. An. 784. Rex itaque consultis fidelibus, iterato hiemis tempore Saxoniam intravit, & celebravit natalem domini juxta Kichrisburg Vuizzagani, super fluvium Ambra, in villa qua dicitur LINHIDI.

7. ET SCHIDROBVRGVM. Ita olim Schira, seu Schidra vetus, locus in Comitatu Swalenbergenfi, nunc Lippiensi, inter Steinhemium & Ludam situs, vocabatur. Adelmus Benedictinus ad An. 784. Rex autem congregato iterum exercitu, in Saxoniam profectus: celebratioque in castris natalitio Domini die super Ambram fluvium in pago Huthagoe, juxta castrum Saxonum, quod dicitur SKIDROBVRG, ad locum vocabulo Rimi, quo VVifuræ & VVaharna confluant, populabundus accessit.
Eadem